

Sed tamen potest repugnantiam habere ex duplici capite. Primo, quia procedit ab operante tamquam actio illius, et sic supponit ejus esse: ergo non dat illud. Secundo, quia intelligere, et velle habent diversum munus intrinsece, et essentialiter ab ipso existere: nam intelligere, et velle, et aliæ actiones immanentes recipiunt speciem ab objecto, et quia de se possunt circa infinita objecta versari, vel simpliciter, vel secundum quid, habent infinitatem quamdam. Esse autem Angeli habet determinationem unius tantum speciei ad ipsam substantiam Angeli; ergo non potest intelligere Angeli servire pro ejus existentia. D. Thomas in præsentia non usus est prima via, sed secunda, quia licet verum sit quod operatio procedens ab intellectu supponit ejus existentiam, tamen qui dicerent quod intelligere est esse, negarent quod de ratione intelligere sit dimanare ab intelligente, sed solum quod sit ultima actualitas illius, sicut in Deo intelligere, et velle non sunt emanationes a Deo operante, sed actualitas illius, et sic non repugnabit idem inveniri in aliquo intelligere creato. Quare non poterat supponi id quod ista ratio supponit, nempe quod intelligere, et velle sint ex suo intrinseco conceptu emanationes ab intelligente, et volente, sed id deberet probari. Unde eligit D. Thomas secundam viam, quæ assumit aliquid quod a nullo negari potest, scilicet quod intelligere se habet ad plura objecta a quibus specificatur, quod non potest convenire ipsi existentia, seu esse.

XXI. Nihilominus ratio hæc D. Thomæ parum efficax aliquibus videtur, nec solido fundamento niti: reducitur enim tota ejus vis ad illam propositionem, quod non potest id quod determinatæ speciei est, sicut existentia, identificari cum eo

quod in tot species dividitur, sicut intelligere, quod ab objectis specificationem desumit, nec potest unicum intelligere deservire pro omnibus objectis, quæ Angelus valet intelligere, esse autem Angeli unum est. Contra hoc autem instatur, quia non repugnat secundum diversos respectus aliquid esse determinatum, et indeterminatum, et esse finitum quoad aliquid, et infinitum quoad aliud: ergo fundamentum D. Thomæ nutat. Antecedens variis exemplis probatur. Nam in primis albedo et ratio in ea fundata identificatur, et albedinis non est nisi una species, relationes vero plures ut similitudo et dissimilitudo, æqualitas, mensurabilitas, etc. Item superficies, et locus sunt entitative, et identice idem, et superficies est determinata species, loci autem sunt multæ species, ut sursum et deorsum, ante, et retro, distans, propinquum, etc. et actio, et passio sunt eadem entitas, diversæ vero species unius, et alterius. Ergo pari modo dici potest quod esse Angeli sit unum specie, et numero determinatum in ratione existendi, multiplex vero, et indeterminatum in genere cognoscendi. Item eadem substantia Angeli est in se, et in ratione substantiæ determinatæ speciei, et similiter ipsa potentia intelligendi, et volendi, et tamen est susceptivum diversorum accidentium, et actuum, et specierum intelligibilium, et illa potentialitas est indeterminatæ speciei, sicut etiam potentia obedientialis, quæ est ad tam varias species supernaturales, et miraculosas, a quibus specificatur; et tamen ista omnia identificantur cum substantia ipsa, quæ est determinatæ speciei: ergo illa propositio D. Thomæ non est solida, quod aliquid determinatum in uno genere, et linea, non possit esse indeterminatæ speciei in altera. Item ens, et ve-

rum, et bonum sunt identice eademmet entitas, et tamen possunt esse diversæ species boni, aut veri, manente eadem entitate, sicut bonum dividitur per honestum, utile, et delectabile, non autem ens; et verum per diversas rationes intelligibilitatis, licet sit eadem entitas: ergo bene stat aliquid esse determinatæ speciei in uno genere, et non in alio. Denique, ipsa substantia Angeli est non solum forma naturalis in esse entitativo, sed etiam species intelligibilis in esse intelligibili respectu sui: ergo saltem respectu suæ propriæ intellectionis poterit identificari, esse, et intelligere, sicut identificatur forma intelligibilis, et substantialis.

Confirmatur, quia sicut esse Angeli est finitum, ita intelligere Angeli finitum est, quia est creatum, licet circa objecta infinita versari possit: ergo non sequitur quod esse Angeli, quia est finitum, non possit identificari cum intelligere, quia infinitum est, cum hoc intelligere etiam simpliciter sit finitum. Quod autem objective infinitum esse possit, non obstat; tum quia etiam esse Angeli habet similem infinitatem, quia continet totam plenitudinem suæ speciei, et æquivalet infinitis individuis; tum etiam quia sicut intelligere formaliter tangit infinita objecta, ita substantia Angeli radicaliter: ergo bene stat quod etiam ipsum esse habeat infinitatem, sicut ipsum intelligere ex parte objecti, et finitatem ex parte entitatis. Posset etiam dici, quod intelligere quando est substantia, non specificatur ab objectis, sicut non procedit a subjecto.

XXII. Pro intelligentia rationis D. Thomæ oportet advertere, quod illa propositio in qua fundatur tota vis rationis ejus, quod non potest aliquid esse alicujus speciei determinatæ, et alterius indeterminatæ

etiam identice intelligi debet de speciebus perfectis absolutis, et actualibus: nam si sunt species imperfectæ, sicut modi, oportet quod entitative quantum ad realitatem identificentur cum aliqua entitate reali determinatæ speciei, quia cum modus non fit realitas, non distinguitur a re cujus est modus realiter, et entitative, et ita manet indistinctus realiter, et entitative; et consequenter identificatur cum ipsa re, cujus est modus. Unde non inhæret illi, sicut reliqua accidentia, sed seipso illi conjungitur, quod est entitative identificari, alias sequeretur processus in infinitum, quia cum ipsa inhærentia, quidam modus sit, si inhæret per aliam inhærentiam, ista rursus inhærebit per aliam, et sic in infinitum: nec potest separatim existere a subjecto, sicut accidentia quæ inhærent, licet subjectum possit non manere sine modo per corruptionem ipsius modi, seu alicujus ad illud requisiti. Similiter species relative identificari possunt cum fundamento quod est determinatæ speciei, et entitatis in se, quia non distinguitur a fundamento tamquam realitas, sed tamquam modus: nam si realitas sit, nullo modo identificabitur cum illo, sed accidentaliter illi adveniet, sicut plures species accidentales adveniunt subjecto habenti suam speciem entitativam determinatam ab illis distinctam. Denique, intelligitur propositio D. Thomæ de speciebus actualibus, non potentialibus: nam esse plura in potentia, et indeterminate se habere ad plures species, quas potest recipere, non est esse, neque identificari cum talibus speciebus, sed habere potentiam ad illas. Potentia autem, et indeterminatio ad plura accidentaliter advenientia non repugnat cum unitate, et determinatione ejus quod est in potentia, sicut ipsa potentia intellectiva, et

substantia intelligens est in potentia ad plures intellectiones. Et hoc modo ipsum esse Angeli actu constituit entitatem in existendo, et potentialiter se habet ad operandum, seu intelligendum. Hoc autem modus nullus dubitat quod aliquid possit esse actu unum in substantia, et in potentia multiplex, respectu accidentium, et operationum, quarum species potest recipere. Sed aliud est recipere species diversas, aliud identificare, et esse idem cum illis. Hoc secundum est quod negatur; de primo vero non dubitatur.

XXIII. Quod vero propositio D. Thomæ sic debeat intelligi de speciebus perfectis absolutis, et actualibus, constat manifeste, quia loquitur de intelligere, seu de actibus immanentibus, qui sunt realitates et non modi, qualitates et non relationes, actus secundi et non potentialitates; et de talibus quærit, an sint idem cum ipso esse Angeli.

Ratio ergo D. Thomæ ex hoc supposito declaratur quam sit efficax: nam si intelligere Angeli esset ejus esse, vel tale intelligere esset unius tantum speciei, et unicum existens, attingere omnia objecta, quæ Angelus potest attingere, vel tale intelligere esset multiplex, et diversas species habens respectu diversorum objectorum, sicut nunc habet intelligere nostrum, et angelicum, et non obstante hac diversitate specifica in ipso intelligere adhuc identice, et entitative diceretur esse unum cum ipso esse Angeli. Si primum dicatur, destruitur ipsa ratio intellectionis, quæ diversificatur penes objecta, et non potest unum existens attingere omnia objecta, quæ sunt ab intellectu attingibilia, quia intellectus Angeli propter suam universalitatem potest attingere omne ens, imo elevari potest ad videndum Deum in se. Unde sicut

non potest dari una species, quæ representative contineat omne ens, nec una virtus naturalis, quæ possit intelligere Deum in se, ita nec potest dari unum intelligere quod se extendat ad omnia entia intelligibilia, quia major actualitas requiritur in ipso intelligere in actu secundo, quam in ipsa specie representante, vel virtute elicente. Imo sequeretur hinc, quod Angelus naturaliter esset beatus, quia si ejus intelligere, est unum ad omnia quæ potest intelligere, quia est ejus esse: ergo intelligere beatificum etiam erit ejus esse, si quidem ut ponitur omne intelligere ejus est unum, et illa visio est ejus intelligere: atque adeo erit aliquid naturale in Angelo, quia esse Angeli naturale illi est, id est, ipso dono creationis habitum. Et eodem modo non potest esse una tantum realitas numero intelligere Angeli etiamsi sit superaddita ipsi esse, quia nulla realitas naturalis est, quæ omnia objecta attingat, in quæ potest Angelus tam naturalis quam supernaturalis ordinis. Si vero ponitur, quod intelligere Angeli est multiplex in specie, ita quod diversificatur penes diversitatem objectorum, repugnat quod sit ipsum esse, quia cum intelligere non sit modus, sed realitas, hoc ipso quod est multiplex species, est multiplex realitas; ergo non potest esse entitative unum, et idem cum esse Angeli quod est unum. Tum etiam quia nulla entitas creata potest in se adunare plures species reales propter limitationem, et finitatem suam, quia unaquæque res creata constat ex suo genere, et differentia, multæ autem species multas habent differentias, et plura constitutiva. Imo nec in Deo sunt species, seu quidditates rerum, nisi sub aliqua eminentia superiori, quæ est illarum principium, et semota omni potentialitate, imperfecte

tione, et divisione. Quod vero plures species manentes in sua pluralitate, et divisione limitata adunentur, et identificentur cum entitate, seu actualitate una, et unius speciei, nec etiam in Deo invenitur, quia repugnat ex una parte species manere diversas, et limitatas inter se, et ex alia esse unam, et eandem entitatem, etiam infinitam, cum qua identificentur: quæcumque enim sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, eo modo quo in illo tertio unum sunt: quod axioma in creatis nullam patitur instantiam: ergo si intelligere Angeli remanet multiplex, et divisum secundum diversas species, non potest identificari cum ipso esse Angeli, aut si sunt ipsum esse, sunt idem inter se, et consequenter non sunt plures species reales, sed vel erunt modi, quod repugnat realitati intellectionum, vel erunt una, et eadem species, seu realitas specifica, quod est incidere in primum membrum impugnatum.

XXIV. Ad instantias allatas contra istam rationem D. Thomæ patet responsio ex dictis. Negatur enim antecedens. Et ad primam instantiam de albedine, et relatione dicitur quod relatio constituit speciem relativam solum modaliter diversam a fundamento. Et pro hac parte non repugnat identificari entitative, licet non modaliter. Et sufficit distinctio modalis, ut dicantur illæ relationes diversæ specie inter se modaliter, licet entitative identificentur cum fundamento. Quod si relationes sunt realiter distinctæ a fundamento, non currit argumentum, quia tunc non identificantur cum fundamento, sed præbent illi diversas species accidentales, sicut etiam idem subjectum recipit diversa accidentia specie distincta, quæ non sunt idem cum ipso subjecto. Similiter ad exemplum de superficie, et

loco, dicimus quod locus non addit supra superficiem, nisi aliquem modum, vel relationem secundum situationem, vel distantiam spatii, et ista relatio, seu modus distantie potest variari secundum diversas species, non variata specie superficie, sicut de reliquis modis, vel relationibus dictum est. Ad exemplum de substantia Angeli, et potentialitate ad diversas species intelligibiles, vel ad accidentia, vel etiam de potentia obediuntialia ad diversas species supernaturales, respondetur quod ibi non identificantur cum specie determinata substantiæ diversæ species actuales accidentium, sed solum potentialitas ad illa suscipienda, quæ potentia susceptiva non importat diversas species, licet respiciat illas, quia suscipit illas uno modo, scilicet per sustentationem, et inhærentiam in se, et solum est multiplex in potentia, non in actu. Ratio autem D. Thomæ procedit de diversis speciebus actualibus, ut ostensum est.

XXV. Ad quartum exemplum de ente, et bono, respondetur quod illæ differentie, et species boni solum sunt respectivæ: dicitur enim aliquod bonum honestum vel delectabile secundum diversos respectus ad voluntatem, quia honestum respicit conformitatem rationis, et delectabile complacentiam fruitionemque appetitus. Unde si manente eadem entitate dicitur una, et eadem res delectabilis, et utilis, aut honesta, hoc solum arguit diversas species relativas, quas non repugnat identificari cum eadem realitate, ut de aliis relationibus a nobis dictum est. Si vero non sit eadem res honesta, et delectabilis, sed diversæ, tunc non currit argumentum, quia non identificantur in eodem esse, et identitate.

XXVI. Ad quintum exemplum de substantia Angeli quæ simul est

forma naturalis, et intelligibilis respectu sui, respondetur non sequi ex hoc quod intelligere, et esse Angeli possint identificari, etiam loquendo de intelligere, non in tota sua latitudine, sed de intellectione suæmet essentiæ. Et ratio disparitatis est, quia ut substantia Angeli sit species respectu sui, non requiritur nisi quod sit immaterialis ipsa substantia, et intellectui conjuncta: cum enim unaquæque res per seipsam sit objectum intellectus, quia verum est passio entis, ratione cujus quodcumque ens dicitur intelligibile, etiam substantia Angeli per seipsam habet rationem objecti, et intelligibilis: et ulterius, quia spiritalis substantia est, non indiget specie intelligibili superaddita, quæ illam constituat intelligibilem in actu, eo quod per seipsam spiritalis, et immaterialis est. Cæterum intelligere est actus secundus tendens ad illud objectum, ut specificabilis ab illo: esse autem Angeli non potest habere specificationem ab ipsa natura tamquam ab objecto, quia solum ipsum esse habet actuare essentiam, constituendo illam extra causas: tendentia autem ad ipsam, ut ad objectum cognitum non est esse, sed operari, quod alio modo specificatur ab objecto, quam esse a natura, et consequenter aliam speciem habet. Duæ autem species non possunt simul identificari. Et deinde, quia intelligere supponit intellectum, cujus est actualitas, distinctum ab ipsa natura cujus actualitas est esse. Unde non potest tale intelligere identificari cum esse quia intellectus et esse non identificantur, intelligere autem est actualitas pertinens ad intellectum.

Ad confirmationem respondetur, quod licet intelligere sit finitum entitative in Angelo, habet tamen ordinem ad objecta infinita, ratione

cujus unum et idem intelligere non potest omnia talia objecta comprehendere, sed dividitur per multas species secundum diversa objecta, a quibus specificatur: et ita licet nunc quodlibet intelligere Angeli sit finitum, et sint plures intellectiones finitæ, tamen si unicum intelligere sufficeret ad omnia objecta intellectus attingenda, infinitatem deberet habere in actu, quia intellectus habet infinitatem in potentia, cum possit extendi ad totum ens, et illud intelligere haberet in actu, et simul totum quod intellectus habet in potentia; unde non potest ipsum esse Angeli quod est unum esse universaliter totum suum intelligere. Si autem intelligere est multiplex secundum speciem, non potest identificari cum esse, quod unum est, ut probavimus. Nec in tali casu procedit argumentum, quia intelligere, si est multiplex, et diversæ speciei, licet sit finitum entitative, et infinitum solum objective, quatenus circa infinita objecta potest versari, tamen est multiplicis, et diversæ speciei, quia ex diverso objecto species variatur, et hoc intelligitur etiam nomine indeterminatæ speciei; et hoc ipso quod intelligere est multiplex in specie, non potest identificari cum illo esse, quod est unum tantum, et determinatæ speciei, quidquid sit de infinitate: nam hoc ipso quod est multiplex species vera et realis, et non solum modalis, non potest identificari cum esse quod entitative est unum. Quod autem additur etiam esse Angeli habere infinitatem, tum æquivalentem respectu plurium individuorum, tum radicalem respectu plurium actuum, quorum est radix, et objectorum quæ per tales actus intelliguntur, respondetur hanc infinitatem solum esse potentialem, non actualem, sicut esset si ipsum esse Angeli esset actu omne suum intelligere formale,

vel si identificaret sibi omnes species intellectionis, quæ possunt esse in Angelo, et illæ species diversæ essent, ut ostensum est. Ad id vero quod dicitur, in hac sententia ponente quod intelligere Angeli est ejus esse, non specificaretur intelligere ab objecto, respondetur hoc esse impossibile, nisi ponatur unum tantum intelligere in Angelo respectu omnium objectorum, quæ intelligere potest. Unica enim intellectio esse non potest, cum intellectio libere producat vel cesset, una sit naturalis, altera supernaturalis, quæ ex natura convenire non potest; et naturalis intellectio non potest omnia objecta distincte comprehendere, cum non sit una species quæ omnia objecta clare, et distincte comprehendat. Si autem sunt plures intellectiones, illæ non fundantur in eadem specie intelligibili, quia non datur una species, quæ omnia objecta possit repræsentare distincte naturalia, et supernaturalia: fundantur ergo in diversis speciebus, et istæ in diversis objectis, quorum vices gerunt: ergo ab objectis specificantur actus illi.

QUOD POTENTIA INTELLECTIVA NON SIT SUBSTANTIA ANGELI.

XXVII. Hoc probavit S. Thomas generali ratione, qua ostendit nullam substantiam creatam esse virtutem, seu potentiam qua operatur. Quam rationem tractavimus in physica, quæst. XII, art. II et qu. II de anima, art. II. Breviter dicimus quod ratio S. Thomæ duplici consequentia constat.

Prima est: Potentia dicitur per ordinem ad actum: ergo oportet, quod secundum diversitatem actuum sit diversitas potentiarum,

unde communiter dicitur quod proprius actus respondet propriæ potentie.

Secunda consequentia: In omni re creata essentia comparatur ad esse, sicut potentia ad actum, et actus ad quem comparatur potentia operativa est operatio, sed intelligere, seu operatio, et esse non sunt idem in Angelo, nec in quacumque re creata: ergo neque potentie ad tales actus sunt idem: ergo differt in Angelis essentia, seu substantia, et potentia, seu virtus intellectiva.

In his consequentiis videtur latere fallacia, et non efficaciter procedere. Nam prima consequentia ut sit solida, oportet quod procedat de potentia essentialiter, et adæquate ordinata ad actum, et de actu adæquate se habente ad talem potentiam. Et sic bene probat, quod potentia quæ essentialiter specificatur ab aliquo actu sub illa formalitate talis potentie, et specificationis diversificatur juxta diversitatem actuum; non tamen infert quod non possit in eadem entitate materialiter sumpta identificari potentia ad unum actum, et alia potentia ad alium, ita quod formaliter sint diversæ potentie, et materialiter, seu entitative eadem entitas; et sic substantia ut formaliter se habet ad esse, erit potentia formaliter distincta a seipsa, ut se habet ad operari, sed tamen materialiter, et identice eadem substantia habebit utramque formalitatem potentie, et ad esse, et ad operari, sub diversis respectibus, et considerationibus. Et hinc enervatur secunda consequentia: nam essentia est potentia ad esse per modum potentie receptivæ, quia non producit suum esse, sed recipit ab efficiente: potentia autem operativa se habet ad suum, qui est operatio, non passiva, sed active: non repugnat autem, quod eadem entitas sit passiva potentia respectu